

strenuè defendit Apostolus, *partim causas adducendo*, è resurrectionis CHRISTI veritate (quam non Scriptura modò, sed ipsa quoque *εὐλογία* & apparitio multis facta confirmet,) petitas, à v. 1. - 13. *partim absurda ostendendo*, quæ ex negatâ resurrectionis veritate sequantur, nempe (1.) CHRISTUM etiam non resurrexisse, qui fuerit unus ex mortuis, v. 13. atq; ita (2.) frustra eundem prædicari, ac fiduciam in illum poni v. 14. (3.) Apostolos, ceu testes illius resurrectionis, criminis falsi reos futuros v. 15. ideoq; (4.) fidem Corinthiorum vanam futuram v. 16. 17. eosque (5.) adhuc in peccatis mortuos esse, siquidem illa nondum merito CHRISTI expiata sint, v. 17. (6.) Omnes fideles, qui in CHRISTO obdormierunt, damnatos esse v. 18. ac deniq; (7.) Credentes in CHRISTUM omnium hominum esse miserrimos, cum omni spe melioris vitæ destituantur v. 19. Hæc verò cum adeò absurda sint, ut vel manibus palpari ipsa absurditas possit, necessariò exinde sequi colligit Apostolus, nostram ex resurrectione CHRISTI dependere resurrectionem, atq; illius certitudine demonstratâ, etiam hujus negari non posse veritatem v. 20. 21. 22. His ita vindicatis, per Prolepsin aliquam objectioni adversariorum *vers. 23.* occurrit Apostolus, hoc modo inferentium: *Si ex CHRISTI resurrectione fidelium resurrectio dependet, sequitur, fideles jam pridem resurrexisse, sed falsum est posterius, Ergo & prius*; quorum illationem ita diluit, ut neget consequentiam, ostendens, non ita colligendum esse: *Ergo resurrectio jam actu fieri debuit, sed hoc tantum sequi, Ergo fideles indubitatò sunt resurrecturi*; Ordinem namque Divinum hîc respiciendum esse, qui voluerit, ut CHRISTUS, primitiarum instar, præcedat, reliqui autem fideles, in

in